

num. Experti sumus in opere tam arduo, quanta sit ubique Davidicorum carminum profunditas: quamq̄ non sit cuiusuis, ad illorum penetrare adyta. Neg, animus initio erat, cum illa Ecclesia Dei exponerem, opus aliquod moliri, quod suo tempore vulgaretur: sed simpliciter in exponendis illis pro mea mediocritate versabar, donec per gratiam Domini inter tractandum & progrediendum aliquid lucis suboriretur, & sensus affectusq̄, Psaltis nonnihil familiariores redderentur. Consului simul & aliorum cum veterum tum recentiorum scripta, adhibito iudicio: ne cuiusquam à Deo accepta dona susque deque facere, ac meis ipsius virib. securius inniti viderer. Quanquam subinde parum adiumenti datum est ex aliorum Commentarijs, praesertim veterum: quorum alij in exponendis Psalmis magis quae pie possunt, quam verè debeant dici populariter attulerunt: & doctrinam suam tempori potius, quam sensibus & affectibus Psaltis explicandis accommodarunt. Alij obiter, veluti per Scholia, non profunda sensuum, sed superficiem verborum attigerunt. Alij neglectis rebus & sensibus Prophetæ, mysticas, allegoricas & anagogicas expositiones tradiderunt. In quorundam lucubrationib. philosophiam ethnicam deprehendes citius, quam germanam vatis huius theologiam. Nō detrabo Patrum laboribus, absit: sed nostra atatis homines admoneo, ut in legendis illis cum iudicio versentur. Pius ac sedulus lector scrutabitur omnia: sed adhibito iudicio, secundum Apostoli admonitionem, quod bonum est, tenebit. Neg, ignoro in meis hisce & alijs lucubrationibus multa deprehendi posse, quae vel parum sint firma, vel non satis perspicua: vel sic dicta, ut corrigi mereantur. Non omnia possumus omnes. Versati sunt Patres in Scripturis sacris peculiari quodam suorum temporum ductu: ac praestitit quisq̄, pro sua fide quod potuit. Quare si alicubi sunt lapsi, condonandum est, ac consulendum. quam modestiam ipsi quoq̄, ab illis requirimus, qui scripta nostra legunt.

Seruauimus autem in Operis huius tractatu certum quendam ordinem, quo cuncta illius citra confusionem traderemus. Si qua est tituli alicuius, vel si manūs, Epigraphæ obscuritas, illam mox initio explicamus: aut si aliquam in se continet rei gestæ historiam, hanc assignamus: deinde argumentum Psalmi subiicimus. Arbitror autem rem hanc sic esse difficilem & obscuram, ut vix reperiri possit, qui singulorum Psalmorum germana argumenta exactè ac certò tradere possit. Quare ubi non licuit vel ex Epigrapha, vel ex verbis Psalmi, aut aliunde certò deprehendere, quod sit Psalmi argumentum, visum est nonnunquam aliorum sequi sententiam, aliquando & meam lectoris subiicere iudicio. Tertio, post argumenta, dispositione quam potuimus commoda, Psalmos in suas partes diuisimus. Quarto, verbis contextus lectionem subiicimus, ac varietatem versionum ostendimus: cuius rei magna potest esse utilitas, si Lector sit non oscitans. Reprehendunt aliqui, quod tam sunt varia Scripturarum interpretationes. Sed audiunt Augustinum, qui de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 11. & 12. ad hunc modum scribit: Qui Scripturas ex Ebraea lingua in Graecam verterunt, numerari possunt: Latini ac autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Graecus, & aliquantulum facultatis sibi met vtriusq̄, linguae habere videbatur, ausus est interpretari. Quae quidem res plus adiuuit intelligentiam, quam impediuit, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurimum codicum saepe manifestauit inspectio. Hæc ille. Non licuit autem omnium interpretum videre versiones. Neg, enim ad manum erant oēs. Quod attinet Aquila, Symmachi, ac Theodotionis versiones, quarum aliquando mentionem facio, nec illarū data est copia, & nescio an vsquam integra extant. Sed quicquid ex illis citatum est, ex Scholijs Basilij super Psalmos desumpsi: quae à me anno 1544. versa, penes Heruagium nostrū asseruantur. Contextum autem Psalmorum ex nullius interpretis versione, sed meopte iudicio vsus, quam potui fideliter & intelligenter, ad Ebraicam quidem veritatem, verum sic moderatè concinnatum posui: ut quoad eius fieri potest, haud insolenter à consuetâ lectione, longiusq̄ sine causa discederem. Optarim enim eam versionē, quae in vsu est Ecclesiae Latinae, sic esse Ebraicæ veritati conformem, ut integra retineri queat. Verum quando sine vlla contradictione quam plurimis in locis admodum diuersa est ab eo quod in Ebraeo legimus, ipsa retinenda veritatis necessitas cogit, ut quod malè versum est, ad illius vnde versum est, rectitudinem componatur. Quinto, post lectionis varietatem progredior ad explanationem Psalmorum: quam ex praemissis Argumentis, sensu quem spiritui Prophetæ viciniorē esse puto, quam potui simpliciter contexui. Quod si subinde ab